



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crvcifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

Caput XII. Purgatorij pœnarum immunitas, aut maturior liberatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

CAPVT XII.

Purgatorii pœnarum immunitas, aut maturior liberatio.

Videamus modò, num quid subsidij solatiq; animabus ijs, quæ Christo crucifixo impensius in vita devotæ fuerint, in Purgatorio appromittere possimus.

Henricus Sufo, vir (ut Blofius ait) sanctissimus Deoq; *Scrin. spirit. in fine. cap: 4.* charissimus, in Dialogo æternæ Sapientiæ, ipsam Sapientiam, seu DEI Filium, ita introducit loquentem. *Ut eadem passio mea magis tibi cordi sit, eiq; plus afficiaris, audi qua didurus sum. Anima qua se multis obstrinxit peccatis, poterit ipsius passionis meæ thesaurum ad eò ad se adungere sibiq; applicare, ut etiamsi vel mille annis punienda sit in Purgatorii locis, brevi tempore & culpam & pœnam omnem dissolvat; ita ut absque Purgatorio libera commigret in cælum.* Quod ait hoc modo effici posse: si quis videlicet corde contrito peccatorum suorum magnitudinem & multitudinem sæpè ponderet; tum verò propriæ satisfactionis, ad ipsa sua peccata collatæ, exiguitate ac levitate animadversâ, illius supplendæ gratiâ, ad ipsam recurrat satisfactionis Christi immensitatē. Etenim, ut ibi subijcit divina Sapientia: *Satisfactio meæ tantum sibi quisq; applicat, & ad se trahit, quantum se mibi compatiendo conformat, & suæ satisfactionis exiguitatem, in meæ expiationis infinitatem humiliter & obnixè demergit.* Hæc Sufo, & ex eo Blofius: qui rursus alibi ex Thaulero *Consol. pu. sll. c. 34. §. 2. & c. 40. §. 2.* ac Lanspergio, ad eum effectum, quo de agimus, eandem in meritis passionis Christi humilem fiduciam valdè commendat. Refert insuper Cæsarius l. 12. miraculorum cap: 51. Religiosum quendam Priori suo statim à morte apparuisse, valedicentem, eiq; indicantem, se rectâ in cælum absque Purgatorio tendere. Quippe Dominum sui misertum: quòd quo-

quoties coram Christo crucifixo transfret, consuisset piam hanc precatiunculam recitare; quam inter septem de passione Domini S. Gregorio attributas, & ad calcem operum ejus positas, postremo loco in hæc verba referri comperio: *Domine JESU Chryste, propter illam amaritudinem, quam pro me miserrimo peccatore sustinuisti in cruce, maxime in illa hora, quando nobilissima anima tua egressa est de corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo. Amen.*

Valet igitur peculiariter (si testibus hisce credimus) ad harum poenarum, sive in toto, sive in parte expiationem sincera animi adversus passionem Christi devotio. Sive etiam est perfectæ charitatis, quæ ex ejusmodi exercitatione mirificè solet exardescere; sive id efficit illa humilis fiducia, quæ quis operibus meritisque suis diffidens, veluti per sese ad tot nominum expunctionem minus idoneis, spem suam omnem amanter collocat in plagis & sanguine, & infinita satisfactione Unigeniti, cujus contemplatione Pater æternus, hoc magis benignum & placabilem se præbet; sive alia quædam est ejusce rei arcana, & nobis non satis explorata ratio.

Nam, quando ex Ecclesiæ sensu, Sanctos Martyros constat (quoniam passione ac morte suâ, Christi passionem ac mortem singulari modo representant) omni culpæ ac poenâ liberos illico in cælum tendere: non inanis erit aut incongruens fortasse suspicio; si quis eos puret, qui eorum eo fuerint, ut eandem passionem ac mortem animo condolente convolverent, & quo possent studio imitationeque expressam, etiam in carne sua circumferrent, aliquo supplicii privilegio donandos, ut saltem citius ac facilius eximantur flammis purgantibus; Christo propterea satisfactionem suam impensius ijs atque extra ordinem adjungente; aut certe ijsdem juvandis Sanctorum preces & viventium suffragia, particulari quadam providentiâ, procurante aut applicante.

plicante. Neque enim Deo rationes desunt, servatis etiam communis justitiæ Legibus, ijs privatim opiculandi, qui proprio aliquo nomine id promeriti esse videantur: quo modo cum S. Anselmo sentiunt Theologi non ignobiles; ijs certius specialiusve prodesse vivorum suffragia, quidum ipsi in humanis agerent, sublevandis animabus Purgatorij inveniuntur propensius studuisse.

*In elucidar.
Cajet. t. 1. q. 26.
p. 5.*

His denique favet, quod tradit Doctor Angelicus: 3. p. q. 52. a. 8. ad 1. Christum descendente ad inferos, non omnes, qui carcere Purgatorio attinerentur, liberasse, sed eos duntaxat, qui dum adhuc viverent, *per fidem & devotionem ad mortem Christi*, id specialiter meruerint. Ex quo verosimiliter inferri potest, specialem animi erga Christi mortem ac cruciatus devotionem, saltem promptioris è Purgatorij poenis liberationis, etiamnum titulum congruum esse. Quamquam nihil temerè de rebus ejusmodi pronuntiandum est: nec verò hic locus est istæ operosius exquirendi. Interim observare licebit, propositæ à nobis in hoc capite cogitationi, favere etiam Aloysium sidereum, sive R. P. N. Generalem Vincentium Caraffam, Fasciculi Myrrhæ libro 3. consideratione 19.

CAPVT XIII.

Merces amplior, & gloria specialis in cælo.

§. I.

Crucifixi & Crucis amatores speciali in cælis gloriâ donandos.

Cum à nobis antea demonstratû sit, diligentem in Christi cruciatibus commeditandis exercitationem, viam esse compendiosam, quâ ad perfectionem vitæ Christianæ, & excellentem gratiam sanctitatèmq; perveniatur; pro-